

1766.1
Q. D. B. V.
DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
**EFFECTV HODIERNO
PRIVILEGIORVM AEVI
ANTIQVIORIS**

AD ILLVSTR. ART. VIII. §. 21. CAPIT. CAES.

QVAM

DEO AVXILIANTE
AVCTORATE ATQVE PERMISSV MAGNIFICI
IVRECONSULTORVM ORDINIS

PRO LICENTIA

SVMMOS IN IVRE HONORES RITE AC
LEGITIME CAPESSENDI

DIE X. APRIL. MDCCXLVI.
PVBLICO ATQVE SOLEMNI ERUDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT

GEORGIVS ERASMVS KOBES

NORIMBERGENSIS

SOC. LAT. ALTD. COLL.

AL TORFII

TYPIS IO. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGR.



DISSESSATIONE INAGRAE TURDIC

EFFECTA HODIE RNU
PRIMI GORNAE AEA

ANALOGIAS

DE MUSICA ET CANTU

ACCORDIUM ET ALIAS ET MAMNIS
VARCONVITATORIUM ORDINIS

PRO ELEGIA

SUMMOS IN HABEAT RITE AC
PENITENTIA

TAMEN TUTA CLEMENS MERCATORUM
TAMEN TUTA CLEMENS MERCATORUM

GEORGICAS LYSIMACHA ROBES

ET ALIAS ET MAMNIS
VARCONVITATORIUM ORDINIS

PERILLVSTRIS
REIPVBЛИCAE NORIMBERGENSIS
S E N A T V I
SPLENDIDISSIMO
DOMINIS DOMINIS
DVVVMVIRIS
TRIVMVIRIS
SEPTEMVIRIS
CONSVLIBVS
MAECENATIBVS ATQVE PATRONIS
AETERNUM VENERANDIS

SPECIMEN HOC IN AVGVRALE
EA QVA PAR EST
ANIMI SVBMISSIONE
OMNE SIMVL FELICITATIS GENVS

APPRECATVS

D. D. D.

TANTORVM NOMINVM

TRIUMVIRIS
SEPTEMVIRIS
CONSALIBAS
WECENATIBAS ATQVE PASTRORIBAS
AVLTOR OBSEQUENTISSIMVS DEVOTISSIMVSQUE
AVTOR RESPONSVRS.



PRAEFATIO.

Cogitabisne forsttan, L. B. me temeritatis et insipientiae merito inculpari posse, quod juvenili quamvis aetate, pagellas basce in publicum proferre et eruditorum iudicio exponere non dubitaverim? Censebis forsttan me cupiditate inter autorum nomina referendi cogitationes nescio, quas et quales, typis mandari curarje? Sed bonis, quoq[ue], utere verbis, L. B. Non autoris nomen, non vana honoris opinio, non temeritas, non lubrica aetatis cupido me impulit, quo specimenis profectuum meorum qualiumcunque conscribendi et in lucem edendi periculum fecerim. Lex est, quam observo, dum hoc molior opus. Nemini enim non notum est, quemlibet, qui summos iuris honores adipisci cupit, ad publicum quoddam suorum in eruditione profectuum specimen teneri

Allocutio ad
lectorem cum
explicatione
propositi

A 3

profec-

proferendum. Quum itaque meis convenire rationibus mibi
 videretur, pari modo, si vires sufficiant, ad summos iuris
 honores aditum quaerere, illam legem praetergredi non
 potui. At enim vero diffiteri nequeo, meum diu hinc inde
 fluctuisse animum tam in ipso labore aggrediendo, quam in
 themate dissertationis eligendo. Vires enim huic negotio
 pares sufficere mibi parim non videbantur; partim mate-
 riarum moles dissertatione elaborari atque illustrari dignis-
 marum mentem meam ita reliquit dubiam, ut, quo pe-
 dem figerem, plane ignorarem. Quum enim omnes fere
 iuris civilis materiae iamdudum ab eruditis illustratae sint,
 ita, ut penitus exbaumae videantur; thema quoddam iuris
 publici mibi tractandum sumere metum constitui. Obvenit
 mibi hoc meditanti propositum Cap. Caes. Art. VIII. §. 21.
 qui de effectu privilegiorum aevi antiquioris hodierno verba
 facit. Non quidem ignoro, in doctrina privilegiorum mul-
 totus iam eosque Clarissimos Viros elaboranda aequa ac diutidian-
 da desudassi; aevi vero antiquioris privilegiorum usus ho-
 diernus, me quidem sciente, in peculiari tractatu nondum
 fuit ventilatus. Generalia quidem privilegiorum non
 penitus silentio praeterii, sed Cap. I. brevibus tantum in
 eum adduxi finem verbis, quo inde melius ad specialia con-
 cludere potuerim. Cap. II. tractabit historicam disquisitio-
 nem privilegiorum, annexa in Cap. III. ventilatione qua-
 ssionis; num eiusmodi privilegia et hodie valeant? Sistet
 denique Cap. IV. brevem huius materiae applicationem
 ad privilegia patriae ciuitatis. Tu vero, humane lector,
 bas iuveniles primitias aequi bonique consule, easque
 non tanquam viri provectae in iuris prudentia cognitionis,
 sed potius scientiarum cupidi iuvenis opus dijudica.

Vale et autori fave.

CAP. I.

CAPVT I.

§. I.



Inter uaria , quae de privilegiis in genere tractari sueverunt , ea , quae definitionem eorum , divisionem , interpretationem , amissionem seu interitum respiciunt , vel parum curamus , vel tantum ea nobis feligere licebit , quae modo casui nostro illustrando inserunt , modo maioris in foro habentur momenti .

§. II.

Priuilegium , vi etymologiae vocis denotat Etymologia
privam legem , id est , legem , quae certam aliquam personam sive rem specialiter concernit , quaeque respectu huius vel personae , vel causae , quidquam praeter ius commune in se continet . Evidem intuitu privilegiati priuilegium proprie legem dicere nolim , siquidem is , cui aliquid indulatum est , iuri et prerogativa pro se introductae renunciare potest , id quod tamen vix ac ne vix quidem continget ; respectu uero aliorum naturam legis privilegium induit , cum nemo privilegiatum in iuris sui exercitio turbare

❧) 8 (❧

turbare impune possit , quippe quod ex fonte or-
nis in civitate maiestatis suam traxit originem.

§. III.

Privilegi-
orum divisio.

Varias inter privilegiorum divisiones prima nobis occurrit illa toties quoties iam disputata di-
stinctio in favorabilia et odiosa. Privilegia saepius
sub nomine beneficii occurrere nemo negabit , ut
ut etiam tali nomine insigniuntur in l. penult. ff.
de const. Princ. Sed et odiosorum privilegiorum
in legibus Romanis mentionem fieri , patet ex l. 1.
ff. d. tit. Collatis hisce igitur duabus legibus , luce
meridiana clarius patebit , adductam divisionem fir-
missimo niti legum fundamento. Neque illa mu-
tata rei publicae Romanae forma in desuetudinem
abiiit , quum in l. 11. §. fin. ff. de his , qui sui vel
al. iur. sunt. Hadrianus , et in l. 20. Cod. de poen.
Theodosius eiusmodi constitutiones odiosas promul-
gaverint , quarum ultimam quoque allegat Illustr.
quondam Heineccius in Antiquit. Rom. Lib. I. Tit.
XI. §. 60. Temporis successu vero privilegia magis
ad favorabilia restringi cooperunt , ita , ut privile-
giorum odiosorum denominatio fere evanuerit ;
etsi in dubium vocari haud possit , quin principi ,
qui potestate leges ferendi gaudet , non vero iu-
dici , qui leges tantummodo interpretatur , poe-
niae exacerbatio pro re nata competit , per l. 162.
ff. de R. I.

§. IV.

Materiae an-
tecedentis
continuatio.

Privilegii favorabilis subdivisio in personale
et reale itidem multis in foro litigiis et tricis est
obno-

obnoxia. Quidam enim praeter reale et personale aliud adhuc mixti generis privilegium statuunt, personae quidem, sed intuitu rei concessum, id quod vero ad personalia exinde referendum censemus, quia cum persona expirat. Alii in rem inanimatam priuilegium non cadere posse asserunt, et privilegia realia nomine incertae personae concessorum insigniri amant, tanquam ad possessorem rei quemcumque transeuntia. Opinio illa, qua in dubio privilegia personalia pro gratuitis, realia vero pro oneroso titulo acquisitis praesumi debent, multis rerum usui haud adaequata videtur, cum modus acquirendi privilegium ipsius naturam non mutet.

§. V.

Praeterea concessio privilegiorum vel spontanea vel ex praecedente facto derivanda novam ipsorum divisionem effecit in gratisa et conventionalia, illa sola principis gratia ac mera voluntate suffulta, haec praecedenti titulo et conventione fundata. Quorum in numerum secundum D.D. sententiam etiam referuntur privilegia propter bene merita obtenta, quae quasi aliqualem pacti naturam induere, ideoque ob quandam obligationem naturalem illis propriam, pro lubitu concedentis revocari non posse uidentur. Doctrinae huius materiam solide et nervose discussit G. G. Follenius in diff. Praef. Clariss. Schaumburgio habita, cui titulus,

Alia privilegiorum divisione.

„ Natura privilegiorum tam gratosorum quam conventionalium ex genuinis fontibus exhibita,

„ 1736. 4.

B

§. VI.

§. VI.

*Discrepantia
privilegio-
rum ab eo-
rum affinibus.*

Quum vero non sufficiat, rei cuiusdam natu-
ram penitus nosse, sed necesse quoque habeatur
ipsam ab aliis, in primis quodammodo convenien-
tibus discernere; iuvabit saltem, in transitu quo-
que hic iuris singularis et privilegii discrepantiam
et aliorum ipsius affinium eruere. Iurium singularium
exempla evidenter nos edocent, ea semper certum
quoddam genus hominum respicere; sic exceptio
SC. Macedoniani filiosfamilias, SC. Velleianum mu-
lieres tantum concernit, beneficium competentiae
certum tantum hominum genus adversus instantes
credidores munit; Privilegium non item, quod sin-
gularem personam sive rem afficit. Quae iura sin-
gularia, utpote corpori legum iam insertae leges
ulteriori probatione non indigere, exinde patet,
quia ad omnium notitiam pervenisse censentur;
privilegia vero non tam sollemini ritu promulgari,
sed potius curae et custodiae privatae mandari so-
lita merito probanda veniunt, quia non ad aures
singulorum pervenisse praesumuntur. Ultimum in-
ter singularia iura et privilegia discrimen in eo con-
sistit, quod iura singularia ad heredes transire, pri-
vilegia autem ad heredes non extensa tantummodo
affibus privilegiati inhaerere dicantur.

§. VII.

*Continuatio
materiae an-
tecedentis.*

Devenimus nunc ad distinctionem pacti et pri-
vilegii. Respectu quidem dantis et acquirentis pri-
vilegium interdum pacti naturam assumit, in
primis

primis privilegium conventionale , quod ob naturalem ipsius obligationem a concedente temere revocari nequit ; respectu vero aliorum priuilegii non pactum , sed potius lex appellari debet , quam violare nemo subditorum impune poterit . Differt itidem privilegium a dispensatione et ab interpretatione restrictiva , utpote quae constitutiones legem iam latam supponunt ; quum novae legis vicem sustinere privilegium , sit manifestum .

§. VIII.

Interpretationis studium ICto dignissimum , De interpretatione legum
quin imo utilissimum . Quid conductit legum mo- in genere .
lem nosse ? Quid iuuat Iurisprudentiae partes singu-
lars exhaustissime , nisi scientia eas ad factum applicandi fuerimus imbuti . Iustitia sine applica-
tione umbra est , cum applicatione vero finis ille unicus atque praeclarus Iurisprudentiae dig-
noscitur . Non scholae solum , sed vitae dis-
cendum est . Nihil fane profecimus , si solummodo doctrinas Iurisprudentiae menti nostrae
imprimere fuerimus solicii . Eas ad facta obvenien-
tia applicare oportet . Nonne ex hisce praestantia
studii hermenevticis se manifestat ? Nonne veritat
consentaneum est , ICtum studio hoc absque magno
sui ipsius et reipublicae incommodo carere non
posse ? Illud enim praecepta nobis tradit , quomodo
sensem legis eruere , eamque ad facta rite applica-
re debeamus . Legislator , status publicus , tem-
poris circumstantiae , populi mores , regionum
situs , regiminis forma , rerum tuncistitudines , hic
B 2 in

in considerationem veniunt. Viam in hac scientia, monstravit Cel. Eccardus in Hermenevtica Iuris. Quum igitur interpretatio tam multum faciat ad eruendum legis sensum, quid mirum, si et in materia de privilegiis, quae legis specialissimae naturam nanciscuntur, usus praestet maximos.

§. VIII.

*In specie de
privilegio
rum interpre-
tatione.*

Regulae istae Hermenevticae, quas Philosophia rationalis nobis suppeditat, non penitus prætereundae, si de explicando quodam privilegio quaestio instituatur. Primas tenet interpretatio authentica, quae maximam aspergit lucem in sensu dubio legis, si fieri potest, semper adeunda, licet non negandum sit, ex hoc avthentica interpretatione novam haud raro oriri legem adeoque interpretationis nomine vix insigniri posse. Usualis interpretatio nostra quidem sententia in eo tantum casu locum invenit, si privilegium prærogativæ pluribus competentis facit mentionem. Doctorinalis vero interpretatio privilegiorum multa in forum invexit litigia. Illa vel solum occupata est circa sensum grammaticalem, qui vero in privilegiis, in primis aevi antiquioris saepius difficillimo explicatur labore, cuiusque regulas tradit ars diplomatica; vel versatur in extensione sive restrictione iuris concessi. In posteriori casu caute et cum distinctione procedendum esse, omnes ICTi uno fere ore contentiunt. Si duae personae, quas privilegium tangit, concurrunt, illud latissime interpretandum esse præcipit l. 3. D. de const.

const. Princ ex ea forsitan ratione , quia Princeps concedens privilegiato praerogativa et gratiae quid largiri voluisse praesumitur. Tertio vero concurrente stricte interpretari volunt DD. privilegia , quia non licet de interesse tertii cuiusdam innocentis pro lubitu disponere. Ceterum nobis non plane iniquum videtur , si in interpretatione privilegiorum regiminis formae ratio habeatur. Posteriorem itaque regulam nunquam fere in iis imperii formis fallere aestimamus , in quibus aequitas et summa in conferendis commodis moderatio prima utilissimaque norma habetur. In statu vero Monarchico hanc regulam interdum exceptionem absque iustitiae detrimento admittere ideo ceasemus , quia hic status sine incitamentis ad gloriam , quae vero in praerogativis p[ro]ae aliis constant , vix quidem sustineri queat.

§. X.

Modus acquirendi privilegia pro nostro insti-
tuto satis iam expositus esse nobis videtur , ubi deprivilegi-
orum divisione verba fecimus. Facillime enim ex acquisitio
adductis concludere licet , omnia privilegia vel ex orum
sola Principis gratia profluere , vel facto privile-
giati antecedente niti. De acquisitione privilegio-
rum per praescriptionem vix dubitandum est , mo-
do diuturni mores et tacitus Principis consensus
probari possint , vetustas enim legis vicem tenere
dicitur , in L. i. §. f. ff. de aq. et aq. pluv arc.
Sufficit indulgentiam Principis saepenumero uni
prae

B 9

prae altero tacite quid impertiri, quamvis praescriptionis vox non semper adhibeatur.

§. XI.

*Quis conces-
dere possit
privilegia et
in quantum.*

Omnis is denique concedit privilegia, qui potestatem legum ferendarum habet, quae in imperio Romano per Legem Regiam Principibus populi Romani data fuerat. In Germania Imperator vi reservati privilegia concedit per universam Germaniam valida, si modo in Imperii detrimentum non tendant, vel iura statuum iis laendantur. Vid. Pfeffing. in Vitr. illustr. Tom. III. 2. §. 60. a. 283. Tom. III. 17. §. 68. a. 1236. b. 1237. ibid. §. 68. a. e. 1236. 1237. add. Moser in diss. de potestate Imperatoris circa concessiones privilegiorum. cf. de Selchovv in oratione de iure Imperatoris circa concessionem ptivilegiorum in territoriis statuum. Vid. quoque Perill. L. B. de Senkenberg in der Einl. zur ganzen in Deutschland üblichen Rechtsgelehrsamkeit. Cap. v. §. 115. Pari ratione status imperii intra districtus sui fines privilegia impertiuntur, quia haec potestas in superioritate territoriali cuicunque imperii statui propria continetur.

§. XII.

*De amissione,
revocatione
et confirma-
tione privile-
giorum.*

Nihil iam supereft, quam ut paucis de amissione privilegiorum differamus. Necessitas summa, rei utilitas publicae, saepius effectum privilegiorum tollit secundum canonem: Salus publica suprema lex esto. Sed et aliis modis privilegia interdum extinguntur. Si sit privilegium ex mera concedentis

dentis gratia profectum , per revocationem finitu ,
 quamvis dignius et magis decorum sit , etiam gra-
 tiosa privilegia semel concessa facile non revocare.
 Privilegia conventionalia revocationem non teme-
 re admittunt , quoniam in contractus transeunt na-
 turam. Renuntiatione porro privilegia destruun-
 tur , quae expresse se exserit actum privilegio ad-
 versantem committendo. Tacita renuntiatio vel
 in non usu vel in abusu consistit , in quo casu pri-
 vilegia interire dicuntur. cf. Perill. Lib. Baro de
 Senkenberg. l. c. §. 120. Vid. hic III. a Leyser in
 Medit. ad ff. Spec. XI. cf. Reinhart de eo , quod
 circa amissionem iurium et privilegiorum per non
 usum iustum est , Erfordiae , 1734. Privilegium
 temporis spatio restrictum tempore finito expirare ,
 omni caret dubio. Itidem res se habet , si privi-
 legium ob certam qualitatem , quae postea existe-
 re desit , concessum fuerit. Morte tandem pri-
 vilegiati omnem effectum amittit privilegium , pa-
 riter ac interitu rei , cum sine subiecto privilegium
 constare nequeat. An vero mors concedentis pri-
 vilegium subvertat , alia est quaestio ? ICti con-
 sultissimi in hac materia negativam sequuntur , et
 revocationem requirunt. Certe precarium ex mera
 dantis liberalitate profectum , morte eius insecura
 nihilominus durat p. L. 8. §. 1. l. 12. §. 1. ff. de pre-
 car. Quidni et idem de privilegiis dicendum ? Ex
 his quoque quaestio decidi poterit , an confirmatio
 successoris sit necessaria ? Et facile apparet , eam ne-
 cessitatis non esse , in primis in successore univer-
 sali ; in particulari eam suadet prudentia , quamvis
 et

et haec regula interdum exceptionem patiatur. cf. hic Schweder in diss de confirmatione iurium et privilegiorum ab Imperatore statibus et aliis imperii membris facienda. Tub. 1720. Perillusfr. L. B. de Senkenberg distinguit hic inter privilegia und den **Lwigen Gnaden**, harum confirmationem non necessitatis esse censet l. c. §. 116. Speciem amissio- nis privilegii momentaneae involuit casus ille, ubi duae personae eodem privilegio munitae concurrunt, modo privilegia sint aequalia, nec unum fortius aut potentius altero. In fine notandum, quod ad effectum privilegiorum statuum imperii, ipsorum insinuatio in Camera Imperiali, et quidem originalis fieri debeat.

§. XIII.

Capitis Imi
Epilogus, qui
catalogum
scriptorum
de privilegiis
indicat,

Sufficient haec de generalibus privilegiorum tractationi nostrae introductionis loco, praemissa. Qui plura de hac materia nosse cupiunt, adeant syllavum scriptorum, quam pandit Biblioth. Lippen. Tom. II. pag. 210. sqq. cf. quoque Biblioth. Iurid. Generalis Tom. II. p. 709. sqq. Nos nunc potius ad applicationem eorum accingemus, dum Art. Cap. nov. VIII. §. 21. erimus pro virium modulo dilucidaturi.

CAP. II.

C A P V T II.

§. I.

Si praeceunte nobis citato Capit. Caesareae loco effe-
ctum hodiernum privilegiorum aevi antiquioris Capitis II. obiectum,
determinare volumus, maxime necessarium nobis
videtur, disquisitione brevi historica tempus eius-
modi privilegiorum prius eruere, quam ipsorum
usum hodiernum demonstrare.

§. II.

Ipsa Capitulationis Caesareae verba iam nobis Tempus pri-
adaequatam eorum definitionem suppeditant. Au-
gustissimus enim promittit, se status imperii in ex-
ercitio eorum tuiturum fore privilegiorum, quae vilegiorum
ex ipsis Capi-
tulationis
verbis deter-
minatur.
eo tempore concessa fuere, „ da der Churfürsten
„ Consens per pacta et Capitulationes noch nicht also
„ eingeführet oder nöthig gewisen. „ Multum ideo hic
interest, illud tempus determinare, ex quo Imper-
atores Capitulationibus et Pactis in privilegiis et
praerogativis concedendis fuerunt adstricti. In quo
negotio multum iuvabit, qualitates et proprietates
primaevarum rerum publicarum summaeque pote-
statis in istis ortum atque incrementa paulo distin-
ctius contemplari.

§. III.

Certe, si paullisper ad rerum publica-Brevis medi-
rum originem respicimus, considerari meretur, tatio de origi-
C ne rerum-
quod

publicarum quod multa praeterierint secula, donec homines cum historica suam unius voluntati penitus subiecissent. Primitus earundem contemplatione et venti- cula, quae necessitudo imposuerat. Vitae sociatione quae- bilis commoda, res secundae aequis divisae par- titionis, ad quam regimi- tibus, mutuum in vita humana auxilium id sua- nis formam serant, et si nullus agnoverat superiorem, nullus aestimaretur inferior. Diu obtinebat status aequa- litatis, leges tantummodo naturales vigebant. Tem- poris vero successu mox seniorum familiae auto- ritas, mox virtus, vitae commoda, novarum denique terrarum plantatio imperium effecere. Oriebantur exinde status publici qui Monarchiae, quamvis admodum limitatae commode dici possent. Euismodi rerumpublicarum originem suo ipsius in- genio solide monstravit v. Justi in der Natur und dem Wesen der Staaten Cap. i. von dem Ursprunge der Re- pubblichen.

§. IV.

Forma Mo-
narchiae
apud veteres
Germanos.

Quid ergo mirum, si et maiores nostri suis Principibus indefinitana imperandi potestatem non concessissent? Tacito enim si fides habenda in Cap. 7. de mor German. non infinita regibus apud veteres Germanos erat potestas, sed exemplo potius, quam imperio regebant; puniendi potestas erat penes sacerdotes, per quos Deo imperante quid expediti credebant. Reges et Principes tan- tummodo proponebant et suadebant teste eod. Tac. c. l. Cap. II. Bellis tantummodo obortis ma- gistratibus ius vitae et necis in subditos compe- tebat,

tebat, Caes. de bello Gall. Lib. VI. id quod etiam
ad iussa Ducis eo melius exequenda inserviit.

§. V.

Sed pro rerum humanarum viciſſitudine Ger- Apud recen-
mani deinde ab antiquis agendi et imperandi nor-
mis defleſtere non dubitabant. Tempore iam Ca-
rolingorum Germania formam Monarchicam
pactis etſi limitatam induit, in beneficiis tamen
lariendis penitus fere indefinitam. Quae regni
Germanici avtonomia, temporis progressu tanta
cepit incrementa, ut exinde tandem superioritas
territorialis, qua ſtatus imperii hodie praediti ſunt,
oriretur. Hoc quidem non uno aut altero tempo-
ris momento factum fuit, ſed paulatim ſtatus im-
perii per privilegiorum acquisitionem partes supre-
mae potestatis ſibi conciliarunt. Praefantissima
ſtatus obtinuere privilegia Sec. XII. XIII. XIV. qui-
bus Impp. gratiosissimi et statibus maxime propitiis
regni gubernacula geffere. Duravit haec statibus
imperii ſaluberrima Imperatorum libertas aequa ac
liberalitas uſque ad Carolum quintum, qui iuxta
vulgarem ſententiam primus omnium Capitulatione
ſolemni cum statibus paciscebatur, et inter alia
etiam promittebat, ſe nullam in praemiorum et
praeeminentiarum collatione amplius profuſionem
fore commiſſurum, praefertim in privilegiis, quae
ad iura ſtatuum cum Imperatore communia, maxi-
me in Comitiis peragenda pertinent, quamvis
negandum non sit, collationem omnium in im-
perio dignitatum et praerogativarum in genere ad
C 2 huc

huc hodie reservatum permanere Augustissimi. Secundum vulgarem opinionem quidem Carolo V. Capitulatio prima tribuitur, dissentit vero hac in re Perillistris L. B. de Senkenberg, afferens Imp. Ruptum iam sollenini Capitulatione se imperio obligasse in der Einf. zu der ganzen in Deutschland üblichen Rechtsgelehrsamkeit, Cap. V. §. 57.

§. VI

Propior pri-
vilegorum
aevi antiqui-
oris determi-
natio,

Ex his nunc adductis clarius patet, in quae tempora incident ea aevi antiquioris privilegia, quorum mentionem facit Capitulatio Caesarea. Ipsissima pacti Augusti verba, quae iam adduximus, nobis indicant, omnia ea privilegia huc referri debere, quae status, antequam Imperatores per Capitulaciones fuerant adstricti, impetrarunt. Haud temere itaque si nobis concludere videntur, qui hanc Epocham usque ad tempora Caroli V. extendunt; prima enim illa, quam Ipse sacramento confirmaverat, fuit sollemnis Capitulatio. Ab eo etiam tempore status imperii superioritatem territorialem sibi vindicare contendebant, quam antea ex omni parte integrum acquirere sibi non potuerant.

§. VII.

Transficio ad. Disquisitione historica nunc praemissa, trans-
sum hodier. imus ad quaestionem: num et quantum eiusmodi
privilegia adhuc hodie exerceri possint? In qua ta-
men quaestione altioris indaginis discutienda lecto-
ris humanitate et aequitate freti quantum
vires suffecerint, pauca pro-
feremus.

Cap. III.

C A P V T III.

§. I.

Vsum hodiernum privilegiorum aev antiquioris Obiectum hu-
ius capitis
cum formati- definituri prius investigabimus, quid causam one statu- huic quaestioni dederit. Quum enim a temporibus controver- sollempnium in Germania Capitulationum Imp. ex siae. ea forte ratione in privilegiorum concessione re- stricti fuissent, quod status imperii, qui tum tem- poris superioritatem territorialem iam acquisive- rant, in iuribus suis facile laedi potuissent; reliqui status, qui sua privilegia a divae memoriae Imp. modo legitimo acquisiverant, merito de ipsorum amissione fuerunt conquesti. Iniquum enim ipsis videbatur, novam legem ad illa tempora referre, quo nulla aderat superioritas territorialis, nullum- que in hac re Imp. coercere potuit vinculum.

§. II.

His itaque statibus in alleg. Capitul. Caesa- Quibusnam
reae articulo prospectum fuit verbis: „Doch soll statibus per
denenigen Privilegien, welche Thurfürsten, Fürsten Capitulati-
und Stände ic. ic. hierdurch nichts praeiudiciret oder be- onem pro-
nommen, sondern von Römischen Kaisern auf gebüh, erit?
rendes Ansuchen confirmirt und die Stände dabey ohne
Eintrag männlich gelassen, und auf deren Anrufen
nachdrücklich geschützt werden.“ Quam imperii
legem, uti aequitati naturali convenientissimam et
adhuc

adhuc hodie obtinere apud omnes negotiorum publicorum non plane expertes constat.

§. III.

Capitul. Cae- Caute tamen et prudenter in huius legis app-
fareae ad ho- plicatione ad facta statuum imperii procedendum
diernam im- perii formam esse , nemo negabit , qui bene norit , quam mul-
plicatio tum distet hodierna imperii Germanici facies ab
cum ponde- antiqua illa et morum ruditate et scientiarum tene-
ratione status regni Ger- bris obscurata forma. Plura penitus indefuetudi-
nem abierunt. Plura hodie salva cuiuscunque status
imperii iustitia exerceri nequeunt , quum intro-
ducta superioritate territoriali statum imperii in ex-
ercitio iurium territorialium turbare impune haut
liceat. Quam multum igitur distant haec tempora
ab illis , ubi status imperii nondum tanta ceperant
incrementa , ubi Germania Monarchicam prae se
tulerit formam , quae hodie ex quorundam sen-
tentia variis modis et circumstantiis limitata vide-
tur , cuius autem rei disquisitio ad meum institu-
tum non pertinet. Exinde tamen non sequitur pri-
vilegia illis temporibus obtenta vix hodie penitus
exerceri non posse , quum negandum non sit her-
meneuticam Iuris sanis rationis principiis suffultam
et ex antiquiorum temporum circumstantiis de-
sumtam in eorum applicatione normam atque fun-
damentum agendi constituere.

§. IV.

Regulae tan- Difficillimum quidem foret , regulas de horum
tummodo ge- privilegiorum applicatione et interpretatione ad
nerales de singu-

singulos casus obvenientes applicabiles suppeditare; huiusmodi
privilegiis
suppeditari
possunt.
minima enim circumstantia variat rem, ita ut plu-
rima huius materiae momenta prudentiae interpre-
tatoriae debeant relinquiri. Iuvabit tamen, cautelas
quasdam generales hic addere, quibus probe per-
pensis, facile casus speciales diiudicandi erunt. Ge-
neralissimas de hac materia observationes exhibuit
ingens illud Goettingensium decus, Illustr. Puetterus
in Elementis iur. publ. pag. 155. „Quoties, in-
„quit, agitur de iure ex facto Imperatoris superi-
„orum temporum acquisito, semper illud ex eo
„tempore, quo hoc contigit, ex statu potestatis
„eius aevi considerandum est.“ Quibus verbis
Illustr. Auctor indicare voluit, privilegia antiqua
non secundum statum Germaniae hodiernum, sed
eius temporis, quo concessa fuerunt, esse diiudi-
canda. Pari modo rationes Idem subduxit c. I.
§. 463.

§. V.

Rem totam ad primaria sua Capita rededit D. Lochneri
Vir quondam Consultissimus, Reipubl. Patriae afsententiae de
Consiliis Cel. Loehnerus cuius memoriam eximia-
tam de orbe litterato, quam de Alma Patria me-
rita nunquam intermori patientur in selectorum
Iuris universi Parte I. pap. 37. sqq. Verba quidem
ibi facit Vir celeberrimus tantummodo de privile-
giis civitatis Norimbergensis, sed ipsam rem ad
alios status imperii, ad Comites, Praelatos, item
ad Nobilium immediatorum corpus applicari posse
facile patet. Ea omnia enim, quae de privile-
giis

giis civitatis Norimbergensis in genere dici possunt, quadrant quoque ad aliorum statuum et membrorum imperii privilegia aevi antiquioris. Sed paucissimis tantum verbis audiamus ipsius Clariss. Autoris argumenta, quae contra obiectionem, qua omnia privilegia salvo iure tertii intelligenda esse praecipitur, solida sua ipsius eruditione protulit. Recte ille eximit ab hac regula privilegia ista antiqua, quae Art. 8. §. 21. Cap. Caef. concernit, quaeque ante initas imperatorum cum statibus Capitulationes ipsis fuerunt concessa. Haud inique porro supponit, ius hoc tertii iam existere debuisse tempore imperati priuilegii; nullum namque hic locum inuenit retractio. Aferit denique non temere, saepius nomine privilegii id insigniri, quod potius confirmatio privilegii iam exerciti appellari debeat. Ceterum terminum huiusmodi privilegiorum extendit usque ad tempora Leopoldi, dum huius et Caroli V. Capitulatio non universum imperium spectassent, et in specie posterior tantummodo statum quietum Germaniae pro obiecto habuisset, et si hoc arguento communi DD. opinioni non fuerit adtipulatus.

§. VI.

Stat itaque et hodie firmus atque inconclusus Conclusio ex suis Privilegiorum antiquorum in Germania usus. praecedenti-
bus §§phis formata. Capitulatio Augustissimi hoc praecipit; Ius et ae-
quitas in id consentiunt. Omnia enim beneficia secundum concessionis tempus sunt dijudicanda. Nulla hic temporis retractio cogitari, nedium adhi-

hiberi potest. Sit imperii status in praesenti mutatus, sit is, qui mihi beneficium obtulit, in praesenti pacto et legibus obstrictus, nihil hoc nocet. Sufficit enim, me hoc beneficium legitimo modo acquisivisse, eiusque acquisitione neminem laesisse, possessione quieta neque interrupta illud exercuisse. Porro, si tollas in Germania privilegiorum antiquorum usum, quid statibus imperii remanebit? Nihil, nisi superioritatis territorialis umbra. Nonne eminentiora statuum iura eius aevi privilegiis nituntur? Nonne is, qui horum usum exterminare studeret, simul etiam hodiernam imperii Germanici formam pervertet? Nonne ipsissima legis Imperialis verba pedibus prosternet? Ipsam pacem, quietem aequalitatem, e Germania mihi tollere videtur, qui privilegiis antiquis usum hodiernum denegare audet, quum ipsorum vigore quilibet imperii status suis fruatur commodis, praerogativis, praeeminentiis. Si status semper bonum et aequum ante oculos habent, ex horum privilegiorum usu nullum toti eveniet Germaniae damnum; imperium ipsum potius crescat, florebit, stabilitur, firmabitur.

CAPVT IIII.

§. I.

Coronidis loco liceat nobis ea, quae haetenus allata
fuerunt, ad dulcissimae patriae statum publi- Civitas Norimber-
D cum gensis gaudet.

multis privi-
legijs et re-
centioris et
antiquioris
aevi. Cum paucissimis inde deductis argumentis , pro vi-
rium sufficientia applicare . Neminem fugit No-
rimbergam inclytam S. R. I. liberam civitatem in-
ter praecipuas Germaniae urbes referri . A longis-
mis enim temporibus constat , eam indissolubili-
cum Caesare et imperio nexu fuisse copulatam .
Tam externam , quam internam faciem celeberrimae
huius urbis solide et accurate describit Wagenseil . in
commentario de civitate Norimbergeni . Inter
alios caracteres , qui hanc urbem inclytam reddunt
atque ipraeclarum , haud minimam efficit partem
moles illa privilegiorum , quam ab Imperatoribus
medii aevi obtinuere . Corpus horum privilegio-
rum , ut et recentioris temporis collegit , atque
doctissimis annotationibus illustravit Vir encomiis
nostris longe superior , Reipublicae patriae quon-
dam a Consiliis , Celeberrimus Woelkerus in hi-
storia Diplomatica Norimbergensi , quae catalo-
gum absolutissimum omnium omnis aevi privi-
legiorum civitati Norimbergensi gratosissime in-
dultorum continet .

§. II.

Num illa haec
hodie exer-
cere possit ? Nullum itaque dubium remanet , quin et
privilegia medii aevi civitati Norimbergensi com-
petentia hodienum sint valitura . Quae enim de
omnibus imperii statibus valent , nec huic urbi
denegari possunt . Quin et ipsius privilegia a suc-
cedentibus imperatoribus iterata vice confirmata
reperimus . Civitas patria acquisivit illa modo legi-
timo , hucusque fortiter exercuit , impetravit
illa

illa eo tempore , quo Imperatores Germani pro
lubitu statibus gratiam , praerogativam , privi-
legium largiri poterant , et re vera fuerant
largiti.

§. III.

Quibus ita comparatis facili negotio inde
deducitur , maximo semper iure civitatem Norim-
bergensem se in eiusmodi privilegiorum usu tu-
eri. Sit , quod invidia , aemulatio , odium illis
derogare audeat ; nihil refert. Respublica patria
sub Augustissimi clypeo illa tranquille exercere
poterit atque servare.

§. IV.

Plura quidem tam de applicatione generali , Epilogus.
quam speciali loci nostri Capitulationis Caesa-
reae addi potuissent sed temporis angustia , ur-
gensque necessitas , specimen hoc inaugurale
defendendi , hunc laborem arctis adeo li-
mitibus circumscriptit , ut illi hic finem imponere
uberioremque huius argumenti explicationem op-
portuniore forte tempori relinquere debeamus.
Interim Divino Numini summas persolvimus gra-
tias , quod uti in vitae Academicae curriculo
nobis adesse , ita et in hoc negotio , suo ipsius
praestantissimo auxilio , benignissime nobis
succurrere voluerit.

D 2Non

Non pereunt prorsus, quae prisca contulit aeu-

Gratia, sed sero tempore firma ualent.

Ardua quae tentas atque ampla negotia, sollers

Discutis: in magnis et uoluisse sat est.

Insit ut in cunctis, Themidis dulcissime alumne,

Quas tractas, rebus gratia firma, precor.

Tta

promeritis honoribus

PRAESTANTISSIMI

DOM. CANDIDATE

L. V. Q. applaudit

IOH. BERNHARD. HOFFERV^S, D.

b. t. collegii I^Ctorum Decanus.

Iam

Iam TE, KOBESI, extollit virtusque, decusque
quod Themis alma suis splendida ferre solet.
Sic TE, sique TVAM doctrinam laude ualentem
eximum nomen prosperitasque manent.

Praeſtantissimo:
DOM. CANDIDATO
haec:
bonoris et amicitiae cauſa iure
meritoque dabat
IOH. ANDR. MICH. NAGEL,
P. P.

* * * * *

PRAENOBILISSIMO
ATQVE DOCTISSIMO
KOBESIO
S. P. D.
HARTLIEB. Opp.

Quam de eximia TVA doctrina in priuatis congregatis
bus faris abundeque mibi cognita semper fui opinione,
eam nunc mibi publice declarare licere, eo impensius laetor,
quo magis bos pectus ab omni adulationis suspicione liberum et
TV facile intelligis, nec TVAS virtutes immeritis laudibus
posse celebrari, sciunt omnes, qui ingenii TVI praeſtantiam,
studiorumque rationem dexterim a TE initam,
non nesciunt. Nempe TE ex eorum numero semper fuisse
confabat, qui Diuae Themidos castra non uilis lucelli spe-

D 3

jor-

Gratulor TIBI, PRAENOBILISSIME atque DOCTISSIME DOMINE CANDIDATE, Amice Honoratissime ex intimo cordis, ob laborem, quem suscepisti, praeclarum, felicissime finitum, quem assensus eruditorum comitatur. DEVS. T. O. M. ut abduc studiis TVIS laude dignissimis adfuit, quoque in posterum omnibus TVIS conatibus et laboribus adspiret, TEque omnigena felicitate coronet. Vnicum abduc appono: ut sauere pergas

TVO

obseruantissimo

IO. GEORGIO VILLFORTH,

Vlmens.

Iur. Cult. Oppon.



sordida industi, sequuntur, sed ingenium optimis artibus
exultum communi utilitati ita deuouent, ut nec minus dis-
ciplinarum nostrarum dignitatem et incrementa sibi curae
esse ostendant. Hinc ingens se mibi campus in laudes *TVA*
excurrendi panderet, nisi quae *TVA* est modestia, quam-
uis debitas, recusares. Itaque, quod unum affectui meo
relinquere voluisti, honores, quibus *TE* dignissimum elegan-
tissimo hoc libello demonstrasti, ex animo *TIBI* gratulor.
Felicem vero patriam, cui talis ciuis redderis, quem legum
suarum aequum pariter callidum aestimatorem spe non incerta
aut uana praesumere debeat. Huic Tu curas, huic labores
lubentissimo animo consecrabis, nec certe merita *TVA* splen-
didis praemiis, iustaque uirtutum ac doctrinae praeclarae
mercede carebunt. Ceterum per suum uelim *TIBI* habeas,
nihil unquam mibi accidere posse exoptatus, quam si me
amicitia *TVA*, quam per breve tempus *TECVM* mibi
colere dabatur, in posterum quoque persequi benigne
vulneris. Vale.

DI faciant KOBESI, TVIS ut honoribus annos
Et uitae meritis praemia digna feras.

Ita
Praenobilissimo ac Doctissimo
D O M I N O
GEORGIO ERASMO KOBESIO,
I. V. Candidato dignissimo,
egregium studiorum Specimen et honores
promeritos gratulatur
CAROL. ALEXAND. FAVLWETTER.
Norimb. Philof. et I. V. Stud. nec nou Soc.
lat. Altdorf. Sodalis, Opponens.
Gra-

29. Sept. 15

29. Sept. 15
S. DOMINICUS VENDELLIUS, alias Henricus
de S. DOMINICO, de VENDELLIO, de HENRICO,
de S. DOMINICO, de VENDELLIO, de HENRICO,

150

10. Oct. 15

A. domini.

10. Oct. 15

ULB Halle
002 408 120

3





DISSE^TAT^O IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE

**EFFECTV HODIERNO
PRIVILEGIORVM AEVI
ANTIQVIORIS**

AD ILLVSTR. ART. VIII. §. 21. CAPIT. CAES.

QVAM

DEO AVXILIANTE
AVCTORITATE ATQVE PERMISSV MAGNIFICI
IVRECONSVLTORVM ORDINIS

PRO LICENTIA

SVMMOS IN IVRE HONORES RITE AC
LEGITIME CAPESSENDI

DIE x. APRIL. MDCCLXVI.
PVBLICO ATQVE SOLLEMNI ERVDITORVM EXAMINI
SUBMITTIT

GEORGIVS ERASMVS KOBES
NORIMBERGENSIS
SOC. LAT. ALTD. COLL.

ALT OR FII
TYPIS IO. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGR.

